



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Epistola III. Damasi Papae Ad Hieronymvm Presbytervm. Petit vt psallentiam & hymnidicum, sicut ab Alexandro rectore suo & episcopo didicit, ad eum mittat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

driæ episcopo præfente abdicatus est, vna cum magistro suo Apollinare, qui item in die iudicii debitas pœnas & supplicia persoluet? Quod si ille, qui veram spem in Christum vna cum fidei confessione mutarit, velut spem quãdam salutis retinens, alios quosdam, qui sunt leuiiores, ad suam perducatur sententiam: sciant illi, se propterea cum eo similiter perituros, quod in animum aliquando induxerint ecclesiæ Canonis repugnare. Deus autem vos, filii honoratissimi, seruet incolumes.

·EPISTOLA III. DAMASI PAPÆ
AD HIERONYMVM PRESBYTERVM.

Petit vt psallentiam & hymnidicum, sicut ab Alexandro rectore suo & episcopo didicit, ad eum mittat.

Damasus episcopus fratri & compresbytero Hieronymo in Domino salutem.

DVM multa corpora librorum in meo arbitrio allata fuissent, contigit, vt & librum psalmodiarum in meo animo festinus cognoscerem detineri, & memoriam capacitatis meæ imbuere. Cogitavi, frater amantissime & in Christo semper sacerdos, vt secundum septuaginta interpretes & presbyteros, id est, Matthiam & Ptolemæum, Muchium, Sacreum, Hydronium, Pamphilum, Zoaftiten, Didymum, Sanium, Epiphanium, Ciatrem, Simonem, & ceteros, in quantum nostra recurrit conscientia, de septuaginta inuenire vestigia. Peto etiam tuam caritatem, vt sicut a * rectore tuo Alexandro episcopo nostro didicisti, * Græcorum psallentiam ad nos dirigere tua fraternitas delectetur: qui tantæ apud nos simplicitatis indago est, vt tantum in die Dominica apostoli epistola vna recitetur, & euangelii capitulum vnum dicatur, & nec psallentium * mos tenetur, nec * hymni decus in ore nostro cognoscitur. Peto ergo per fratrem & compresbyterum nostrum Bonifacium, vt * lubeat fraternitas tua rei huius nobis aperire vestigia. Missa quinto Kalendas Nouembris, per Bonifacium presbyterum Hierosolymanam.

* creator
* in gre-
mio Græ-
corum
psallere.

* vox vlla
resonet,
* hymni-
dicens
* iubeat

NOTA.

* *Epistola.*] Hanc epistolam, illa quæ sub nomine Hieronymi responsoria subiungitur, de fide aliquo modo suspectam reddit. Vide quæ infra notabimus.

* RESCRIPTVM
HIERONYMI PRESBYTERI
AD DAMASVM PAPAM.

Suggerit de Gloria Patri, & alleluia, in fine psalmodum apud Romanam ecclesiam concinendo.

*Beatissimo papæ Damaso sedis apostolicæ urbis Romæ,
Hieronymus supplex.*

LEGI literas apostolatus vestri, poscentes, vt secundum simplicitatem septuaginta interpretum, canendum psalmographum interpretari festinem propter fastidium Romanorum, vt vbi obscuritas impedit, apertius Latine * trahatur sensus. Precatur ergo cliens tuus, vt vox ista psallentium in sede tua Romana, die noctuque canatur, & in fine psalmi cuiuslibet siue matutinis vel vespertinis horis coniungi præcipiat apostolatus tui ordo, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto: Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in sæcula sæculorum. Amen. Istud carmen laudis omni psalmo coniungi præcipias, vt fides 318. episcoporum Nicæni Concilii in vestro ore pari confortio declaretur. Vbi autem Deus & homo honorabili voce * cantatur, alleluia semper cum omnibus psalmis affigatur, vt in omni loco communiter respondeatur nocturnis temporibus. In ecclesia autem a sancta resurrectione vsque ad sanctam Pentecosten finiatur, inter dierum verospatia quinquagesimæ propter nouitatem sancti Paschæ, vt vox ista laudis canatur in aleph, quod prologus Græce, Latine præfatio dicitur.

NOTA.

*Epistola
Hieronymi
ad Damasum
commentitia.*

* *Rescriptum.*] Hanc epistolam nomine Hieronymi ad Damasum consignatam, commentitiam esse, eamque ab eruditis res Hieronymi accuratius expendentibus, vt adulterinam merito explodi, scribit Baron. anno 325. num. 175. idque hac de causa: scribitur hic, quod